



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones à Clemente X. & Innocentio XI. editas

Luxemburgi, 1739

XLVIII. Supprimuntur Confraternitates SS. Sacramenti, B.M.V., & S. Josephi
sub titulo Gregis boni Pastoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74708)

Suppressio perpetua quarumcumque Confraternitatum, seu Congregationum sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, B.M.V. Immaculatae, & S. Iosephi sub titulo Gregis boni Pastoris, ubicumque erectarum, cum prohibitione libellorum, foliorum, Constitutionum, Regularum, Imaginum, & usus quarumdam catenularum, aliorumque ad illarum Institutum spectantium, juxta Decretum Congregationis S. Officii.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium à tollendis abusus, & scandalis.

Pastoralis officii, quod auctore Deo gerimus, cura animum nostrum assidue sollicitat, ut quaecumque pie, licet primitus instituta, irrepentibus subinde abusus, non solum a pietate recessisse, sed etiam gravibus scandalis causam præbere cognoscuntur, e medio tollere, atque abolere studeamus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad Omnipotentis Dei Gloriam, ac Fidelium ædificationem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Nonnullæ Confraternitates sub titulo Gregis boni Pastoris earumque Constitutiones, & Regulae, in quibus usus catenularum & alia quædam a doctrina, & praxi Ecclesiæ aliena reperiuntur.

§. 1. Cum itaque (sicut accepimus) nonnullæ Congregationes, seu Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatae, & S. Iosephi sub titulo Gregis boni Pastoris variis in locis ordinaria, seu etiam Apostolica auctoritate erectæ, & institutæ existant, in quarum Constitutionibus, & Regulis usus quarundam catenularum, aliave quæpiam à doctrina, & praxi Ecclesiæ dissentanea reperiuntur, & de quarum instituto libella, folia, & imagines in vulgus edita sunt, ex quibus scandala, & offensiones in dies oriri possunt.

Has Confraternitates Pontifex perpetuo suppressit, & extinguit.

§. 2. Nos hujusmodi mala atque incommoda ne latius serpent, Apostolicæ nostræ sollicitudinis farculo recidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Congregationes, seu Confraternitates quascumque sub invocatione Sanctissimi Sacramenti, Beatæ Mariæ Virginis Immaculatae, & S. Iosephi sub titulo Gregis boni Pastoris ubicumque Terrarum sicut præmittitur erectas, & institutas, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo suppressimus, extinguimus, & abolemus, perpetuoque suppressas, extinctas, & abolitas esse, & fore decernimus, & declaramus.

Lectionem, & retentionem dd. Constitutionum, Imaginum, ac usum catenularum perpetuo prohibet, & interdicit.

§. 3. Præterea libellos omnes, folia, & Constitutiones, Regulas, Imagines, & usum catenularum hujusmodi, aliave quaecumque ad institutum earumdem Confraternitatum, seu Congregationum spectantia, eorumque respective lectionem, retentionem, & usum quibuscumque Christianis fidelibus auctoritate, & tenore prædictis itidem perpetuo prohibemus, & interdiciamus.

Decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabiliter, & inconcusse observari: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præminentia, &

potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Confraternitatum, necnon quarumcumque Ecclesiarum tam secularium, quam regularium, in quibus Confraternitates ipsæ erectæ sunt, aliisque quibusvis etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, Privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Publicatio præsentium literarum.

§. 6. Ut autem eadem præsentibus literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est affigi, & publicari, sicque publicatas, omnes, & singulos quos illæ concernunt perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in Judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur eisdem præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 15. Decembris 1673, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Edit. 15. Dec. 1673. An. 4.

I. G. Slusius.

Registrata in Secr. Brevium in lib. mensis Decembris par. 1. fol. 1.

Exemptio Vicariorum Apostolicorum, eorumque Missionariorum in Indiis Occidentalibus, & partibus Sinarum à Jurisdictione Goanæ Inquisitionis, in ea Parte, in qua non dominatur temporaliter Rex Portugaliæ, scilicet in China, Cochinchina, Tunkino, Siam, Camboggia, & aliis Locis dd. Vicariis Apostolicis commissis, & Principibus Infidelibus subiectis.

XLIX.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Edita A. D. 1673.

Solicitude pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ per Universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut ea, quæ Catholicæ fidei propagationi impedimentum adferre possunt, e medio tollere, & Operarios in Vineâ Domini strenue, utiliterque laborantes ab indebitis gravaminibus, atque molestiis, quantum cum Domino possumus, tueri studeamus.

Exordium.

§. 1. Cum itaque (sicut non sine gravi animi nostri dolore accepimus) Venerabiles Fratres Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, & partibus Sinarum ab hac S. Sede Apostolica

Episcopi Vicarii Apostolici in Indiis Orientalibus, Sinarum, &

deputati,